



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHUSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis  
vitae Christianæ**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1577**

**VD16 D 1959**

De vita solitaria 34.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

auditus acutior, visus promptior, incessus rectior, vultus iucundior, qui in hac ætate se domant. Deoque sociant, præmium Iohannis expectant, imò se-

*Hugo.* cundum Hugo. tales offerunt Deo ag-  
*Thren. 3.* num immaculatum. Propter quod lo-  
 quitur Hieremias: Bonum est viro qui  
 portauerit iugum ab adolescētia sua,  
 Non ergo charissime tardes cōueri ad  
 dominū, & ne differas de die in diem,  
 ne subito veniat super te ira eius. Te  
 totum offer Deo in holocaustum, & i-  
 pse impendet tibi se totum. Esto vere  
 magnanimus, & mitte manum tuā ad  
 2. *Tim. 2.* fortia. Labora sicut boni miles Christi,  
*Ibidem.* & contra hostes animæ tuæ pugna vi-  
 riliter. Non enim coronatur, nisi qui le-  
 gitime certauerit. Hæc omnia cōterre  
 tibi dignetur propter bonitatem suam  
 immensam, ad sui ipsius honorem &  
 gloriam vniuersorum creator, omni-  
 um dominator, qui est super omnia  
 Deus sublimis & benedictus.

*De vita solitaria.*

*Articulus XXXIIII.*

*Thren. 3.* **S** Edebit solitarius & tacebit, quia  
 leuabit se supra se. Deus noster  
 naturaliter bonus (cujus essentia  
 bonitas,

DE ARCTA VIA SALV. 457

bonitas, cuius vita immortalitas, cuius  
 voluntas æquitas perhibetur) quum  
 in seipso summe quietus, sanctus, inua-  
 riabilisq; consistat, puram atq; quietā  
 diligit mentem: illam utiq; quæ à stre-  
 pitu vitiorum, ab impetu passionum,  
 à tumultu quoq; secularium abstinēs  
 cogitationum ac negotiorum, corde  
 tranquillo, ordinato, ac libero intendit  
 supernis, vacans Deo altissimo, super-  
 essentiali, immēso, & superbenedicto:  
 qui est bonitas idealis, idea æternalis,  
 veritas exemplaris: ex cuius splēdidis-  
 simo ac indeficiētissimo fonte æterno,  
 omnis emanavit pendetq; perfectio.  
 Ipse siquidem dominus Deus noster,  
 Deus magnus & supergloriosus, solus *Luce 4.*  
 omnipotēs, solus adorandus, solus ve-  
 rus perfectusq; Deus est, ipsum esse pu-  
 rum, plenū, infinitum, fontale, vitale,  
 supersapientiale, causalissimumque  
 consistens, Itaque quum contemplatio  
 amarosa, seu dilectio contemplatiua  
 huius entis altissimi, simplicissimi, ac  
 beatissimi Dei, sit summa atque fina-  
 lis humanæ mentis perfectio: illa viuē-  
 di religio, quæ ad contemplationem  
 hanc cōpēdiosius prouehit, excellen-  
 tiusq; perducit, videtur esse dignissima

utpote ad Deum aptissima via, Hæc au-  
 tem est solitaria ordo vitæ, qui utique  
 conuenientissima continet media cõ-  
 templationis theoreticæ, dilectionis se-  
 raphicæ, perfectiõis deificæ. Non enim  
 anima vulgo permixta, mundanis re-  
 bus immersa, humanis causis intenta,  
 seu per diuersa vagans dispersa, pote-  
 rit DEO sublimi extatice cõiungi, pu-  
 rë infigista, biliter copulari. Quoniam  
 ergo te quàm dilectissime frater, ad vi-  
 tam solitariam summopere exhortor:  
 congruum reor tibi de hac vita con-  
 scribere pauca, quatenus eius cognita  
 qualitate, dignitate, dulcedine, ac de-  
 core, ad eius amplexum magis festi-  
 nes. In primis itaque contuendum est,  
 quid sit finis solitariæ conuersationis.  
 Quum enim omnium religionum seu  
 ordinum sit per paupertatē, spontane-  
 am, castitatem plenariam, obediētiam  
 promptam, tanquam per funiculum  
 triplicem (qui rumpitur difficulter) ad  
 superiores partes animæ (in qua sum-  
 mæ trinitatis imago expressa est) re-  
 formationem perfectam conscendere,  
 puta ad diuinorum speculatonē præ-  
 claram, dilectionem quæ feruidam, atque  
 in utroque fixationem, in quantum huc  
 vitæ

vitæ possibile est, stabilitam: tamen solitariae professionis ac vitæ intentio est ad contemplationem ac dilectionem diuinorum tanto deiformiorem, puriorem, splendidiorem, ardentior, ac indissolubiliorem pertingere, quanto præ cæteris cunctis ordinibus ab hominibus amplius se elongat, peccandi occasiones magis declinat, ab occupatione circa diuersa plenius abstinet. Districtiora quoque seu asperiora media ad hunc finem assumit. Porro quum homo iuxta Philosophum, naturaliter sit animal sociale, politicum, constat, quod in solitudine efficaciter degere sit supernaturale, diuinum, præstantissimum, non humanum. Hinc optime ait Philosophus, quod homo solus est Deus vel bestia, hoc est, diuinus vel bestialis. Nempe si digne ac fructuose uiuat in solitudine, est potius supra hominem & Deus quidam per participationem, quam homo, utpote diuinis actionibus iugiter occupatus, Omnis nanque natura maximè imitatur. imò quodammodo transformatur in id, cuius actiones magis exercet, quemadmodum iracundi canes, & rapaces lupi vocantur. Sicut igitur Deus sanctus, fortis

& immortalis, seipsum æternaliter diligit, & speculatur incessabiliter seu inspicit: ita & solitarius omni hora quantum possibile est, actualiter ferri debet in Deum, per contemplationem lynceram, dilectionemq; stabilem, cæteris quoque actibus patriæ (scilicet laudibus Dei, orationi, compunctioni, lectioni, gratiarum actioni, & morum correctioni) fortiter insistendo. Deniq; sicut in præinducto Hieremiæ eloquio tangitur, ad huiusmodi vitam tria requiruntur atq; concurrunt: videlicet solitarij sessio, id est, ab exterioribus occupationibus mundaniq; actibus quies. De qua dicit Apostolus: Operam detis vt quieti sitis. Et Esaias: Si reuersi, inquit, fueritis vt quiescatis, salui eritis. Vel sessio solitarij est humiliatio eius. De qua propheta: Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Secundum est taciturnitas, In qua designatur refrenatio linguæ, ab omni sermone inutili & humano colloquio. Tertium est eleuatio eius supra seipsum, seu cordis erectio ad diuina. Ad quam disponunt duo prædicta. Primum horum tangit Hieremias, dicens: Sedebit solitarius. Secundum quæ subdit

Et.

1. Thess 4.  
Esa. 30.

Psal. 138.

DE ARCTA VIA SALV. 441

Et tacebit. Tertium quū adiecit. Quia  
leuabit se supra se. Hæc equidem ele-  
uatio est prædicta iam diuinorum cō-  
templatiua, pura ac feruens dilectio,  
quæ reformationem passionum, ex-  
pulsionemque vitiorum præexigit, &  
insuper vnctionem à spiritu sancto p̄-  
cipuam, gnauam cordis custodiam, at-  
que mentalem stabilitatē requirit: om-  
nem consolationē mundanam, repau-  
sationem carnalē, ac animi remissionē  
excludit: imò necesse est indefinenter  
cum seriose humillimæ mentis affectu  
viscera diuinæ clementiæ, pro gratiæ  
incremento, conseruatione, ac perfe-  
ctione pulsare ac implorare. Præterea  
vita ista ex parte subiecti atque obiecti  
dignissima est, quum sit in supremis a-  
nimæ viribus, intellectu & voluntate,  
& circa Deum altissimum ac diuina  
versetur. Est quoq; dulcissima. Gaudi-  
um enim est diffusio animi in concep-  
tu boni. Et quo bonum hoc conveni-  
entius præstantiusq; fuerit, & poten-  
tia ipsa apprehensiuā nobilior, ac vnio  
potentiæ cum obiecto purior, atque in-  
timior, eo erit delectatio maior. Quū  
ergo incomprehensibilis, adorandus,  
& supermirabilis dñs Deus noster sit

t s omni

omni menti creatæ benè dispositæ convenientissimus optimus atq; dignissimus, intellectus quoque & voluntas animæ rationalis sint nobilissimæ ac diuinissimæ vires ipsius, contemplatio etiam & dilectio immediate Deum attingant: palam est quod in contemplatiua dilectione Dei sincera, ac feruida, magna valde suauissimaque delectatio sita est. Præsertim cum iuxta Philosophum, Philosophia habeat delectationes admirabiles sibi admixtas. Quid enim dulcius esse poterit in vita præsentis, quam DEO omnipotenti, fonti omnis decoris, mente adhærere tranquilla? Nam & animus ordinatus sibi ipsi dulcissimus est. Et securamens, quasi iuge conuiuium. Vnde quamuis vita solitaria incipientibus & imperfectis, eius dulcedinem, fructum, atq; profectum, nondum expertis laboriosa & ardua sit, præsertim cū spiritualis consolatio eis à Deo subtrahitur. proficientibus tamen, præsertimque perfectis, exercitatos sensus habentibus prorsus dulcissima est, & iucunda. Quippe qui vitæ huius dulcedinem vbertim gustarunt, & quantum in ea profecerint, non ignorant. Hinc quoque

PROV. 15.

DE ARCTA VIA SALV. 447

quoq; deificati ac illustriss viri omni  
sapientia, virtute & gratia decorati, i-  
tem episcopali fastigio sublimati, a-  
more solitariae seu claustralis vitae, e-  
piscopatus suos reliquerunt, atque in  
locis secretis solitariam vitam duxe-  
runt. Inter quos fuerunt S. Gregorius  
Nazianzenus episcopus, S. Iustus Lug-  
dunensis archiepiscopus, S. Narciscus  
Hierosolymorū antistes, sanctus Vul-  
franus Senonensium pontifex, sanctus  
Remaclus, & sanctus Amandus Traie-  
ctensis, quod nunc est Leodiensis sedis  
episcopi. Sed & Petrus quondam  
papa Celestinus quintus. Nonne pa-  
patus altissimo apice derelicto, ere-  
miticam vitam elegit & duxit? Quid e-  
nim intersit inter vitam solitariam  
seu claustralem & pontificalem, quam-  
uis sanctam, ipse de seipso loquens te-  
statur B. Papa Gregorius in principio  
dialog, dicendo: Infelix animus meus  
pulsatus occupationis suae vulnere  
meminit, qualis aliquando in mona-  
sterio fuit, quomodo ei cuncta tran-  
sitoria subter erant, quantum omni-  
bus volubilibus eminebat, quod nulla  
nisi caelestia cogitare consueuerat, &  
corpore retentus ipsa iam carnis clau-  
stra

tra contemplatione transcendebat,  
 quod mortem quoque tanquam vitæ in-  
 gressum, premiumque laboris amabat.  
 At nunc ex occasione curæ pastoralis  
 secularium hominum negocia pati-  
 tur, & post tam pulchram quietis suæ  
 specie terreni actus puluere foedatur.  
 S. quoque Hieronymus quid in solitudi-  
 ne profecerit, ipse testis sibi est, de sel-  
 pso humiliter non iactanter hæc scri-  
 bens: Ego, inquit, homunculus, sic ab-  
 iectus, sic vilis adhuc viuens in corpore  
 in deserto, angelorum choris sæpe inter  
 fui, nihil de corporeis rebus per heb-  
 domadas sentiens, & diuinæ visionis  
 intuitu, post multorum forte dierum  
 spatia præscius futurorum corpori resti-  
 tuebar. Quia ibi manens felicitatis habe-  
 bā, inenarrabilis gaudij, testis est Tri-  
 nitas ipsa quā cernebā, nescio quo in-  
 tuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus  
 qui aderāt: testis est & cōscientia mea.  
 Ecce amantissime mi quid confert  
 Christi deuotissimis famulis solitaria  
 vita. Quia, ut nosti, virtus vnita forti-  
 or est quam dispersa. Et rursus, quo  
 anima circa plura diffunditur, occupa-  
 tur, diuiditur: eo debilior ē ad vacādū  
 vni illi simplicissimo atque altissimo,  
 quod

DE ARCTA VIA SALV. 445

quod solum necessarium est. Idcirco ad mentis re collectionem & confortationem in Deo, ad syacerrissimam contemplationem omnisque gratiæ incrementum, & ad habendam præcipuam in orando, & cetera bona agendo deuotionem, confert & prodest solitudo. In qua se homo coram Deo tanto liberius fiducialiusque effundit: quanto se à nullo hominū notari aut conspici nouit. Ibi quoque anima religiosa à Deo consolari eiusque alloquia meretur, quemadmodum per Osee. 27.  
seā prophetam testatur. Ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius. Denique ipsemet Christus (cuius omnis actio nostra est instructio) qui sicut frequentia hominum à perfectione impediri non potuit, ita nec solitudine adiuuari: nihilominus vt suo nos doceret exemplo, oraturus recessit à populo, & montem conscendit: iuxta illud. Ascendit in montem solus o-Matt. 14.  
rare: imo iam passione instante, non solum à beatissimo apostolorū collegio, sed à tribus in super familiarissimis clarissimisque discipulis abiit, solus in secreto orauit. Auulsus est, inquit Luc. 22.  
ab eis, quantum iactus est lapidis, & t 7 positus

positis genibus orauit. Propterea in  
 statutis ordinis nostri habetur. Suauitates  
 psalmodiarum, studia lectionū,  
 feruores orationum, & excessus con-  
 templationum, baptismata lachryma-  
 rum, nulla re magis quam solitudine  
 posse iuari. Hæc ergo est solitaria vi-  
 ta, in cuius præconium sanctissimi pa-  
 tres hoc modo prorumpunt: O vita  
 solitaria seu eremitica, vita angelica,  
 atque deificata, viuarium animarum  
 ex cedro gemmarum cœlestium, spi-  
 ritualium curia senatorum, odor tuus  
 cunctorum aromatum fragrantiam  
 superat. Quicquid de te enuncia-  
 tur: dignitati tuæ nullatenus adæqua-  
 tur. Quoniam lingua carnis nequa-  
 quam exprimere sufficit: quod de te  
 spiritus inuisibilis sentit. Qui te no-  
 uerunt, te diligunt. Et qui te gustaue-  
 runt, præconia tua concinunt. Bonum  
 est viro quum te portauerit ab ado-  
 lescentia sua. Tu castra Dei. Tu turris  
 David ædificata cum propugnaculis.  
 Mille clypei pendent ex te: omnis ar-  
 matura tortium. Tu campus diuini  
 prælij, spiritalis area belli, angelorum  
 spectaculum, palæstra fortiter dimi-  
 cantium. O cella, mors vitiorum, fo-  
 mentum

*Thren. 3.*

*Can. 4.  
Ibidem.*

DE ARCTA VIA SAL. 447

mentum virtutum, cœlestis doctrinæ  
schola, artiumque diuinarum disci-  
plina, tu paradisus deliciarum, vbi  
rosæ charitatis igneo rubore flamme-  
scunt, & lilia castitatis niueo splen-  
dore cadescent, ac violæ humilitatis,  
dum imis contentæ sunt, flatibus non  
impelluntur. Tu quoque cella, es scala *Gen. 28.*  
Iacob, quæ hominem vehis ad cœ-  
lum, angelosque ad humanum depo-  
nis colloquium. Tu conciliabulum  
Dei & hominum secretarium in car-  
ne degentium, & spirituum superno-  
rum, Dei & hominum colloquatori-  
um, arcanum dulcissimum. Ecce quā  
pulchra rerum species, dum frater  
constitutus est in cella, nocturnas a-  
git vigilias, & quasi pro diuinis ca-  
stris militares custodit excubias. Hinc  
contemplatur in cœlo cursus astro-  
rum: Hinc decurrit per labia eius or-  
do psalmodum, mens ipsa diuini amo-  
ris calore succenditur, stillantque per  
genas ex oculis lachrymæ dulces, qui-  
bus anima deiformiter pulchrificatur.  
Tunc vita carnalis vilescit, & molli-  
bus iacentium in stratis, ac laciuien-  
tium delectatio atque pausatatio, quam  
spernendæ sint innotescit. *Esa. 35.*  
O vita  
solitaria,

448 D. DIONYS. CARTH.

solitaria, vita felix & sancta, vita di-  
uina & libera, vita pura atque angeli-  
ca, tu splendor animæ, amica sapien-  
tiæ, ornamentum ecclesiæ, plenitudo  
gratiæ, consummatio perfectionis, cu-  
stos quietis & pacis. Te lex attollit,  
propheta miratur, vniuersique insu-  
per qui veræ perfectionis cacumen  
sortiti sunt, tua præconia norunt. Ad-  
hæreat lingua mea faucibus meis, si  
non meminero tui, si non proposuero  
te in principio letitiæ meæ. Tu re-  
quies mea in seculum seculi, hic habi-  
tabo, quoniam elegi eam. Hanc igitur  
te vitam charè mi frater opto lætan-  
ter arripere, fructuose tenere, felici-  
terque finire.

*Psal.* 137.

131.

*De honesta conuersatione clericorum.*  
*Articulus. XXXV.*

*Ephè.* 4.



Bsecro vos in Domino, vt  
digne ambuletis vocatione  
qua vocati estis. Quoniam  
nec dum charissime decre-  
uiti charismata meliora æmulando  
statum perfectionis arripere, toti que  
mundo & propriæ voluntati perfecte  
abrenūciare; vt interim viuas vt oportet